UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 5. Virgilij versus è sexto Æneidos ex Homero imitati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70864

Visual Library

bita eſt. quænam autem pœna illa ſit, è primo πολιτείας cognoſcere eſt: vbi cùm Thraſymachus quæſiſſet de Socrate, quid tandem perpeti paratus eſſet, ſi ipſe talem iuſtitiæ definitionem attuliſſet, quæ reprehendi nullo modo poſſet: Quid verò, inquit, aliud, Socrates, quàm quod eum perpeti par eſt, qui aliquid neſcit? par eſt autem eum à ſciente diſcere: egoque de me quominus ea pœna ſumatur, non recuſo. Hæc tam præclara ſententia in vnius litteræ peruerſione latuerat.

Virgilij verſus è ſexto Æneidos ex Homero imitati.

CAPVT V.

CVM ſtudioſè fecerint aliquot eruditi homines, vt indicarent locos Homeri, quos Virgilius imitatus eſſet: multos tamen (neque aliter in tanta copia fieri potuit) prætermiſerunt. qualis eſt ille è ſexto Æneidos: vbi, accipiente in nauim Charonte

Ingentem Ænean, gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit limoſa paludem.

ita enim Iliados ε, cùm inſiliret Minerua in currum Diomedis, gemuiſſe ſub tanto pondere axis faginus dicitur:

Ηδ' ἐς δίφρον ἔβαινε παρὰ Διομήδεα δῖον
Εμμεμαῦα θεά. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα τ' ἄριστον.

Notatum Petri Victorij μνημονικὸν ἁμάρτημα.

CAPVT VI.

PETRVS Victorius libro ſexto Variarum lectionum, narrans notum illud Socratis ſomnium, quo, cùm in cuſtodia publica eſſet, præuidit, ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum, admonitus illo verſu,

Ηματί κεν τριτάτῳ φθίην ἐρίβωλον ἵκοιο.

Verſum,